

Quaestiones Morales

CASUS MORALIS PRIMUS

Tertio quoque anno examen publicum fit: qui primi relati erunt, scribis qui duobus sequentibus annis servitium civile quamcumque de causa reliquerint, succedunt. Carolus magister, inscio Henrico quem docebat, quaestiones in proximo examine propo-nendas paucis diebus ante malitiose cognovit. Quaestiones paucis aliis miscuit et responsa optime docuit Henricum. Henricus pri-mus relatus et scriba mox nominatus est.

QUAERITUR:

Primo: Estne iniusta actio qua alter a consequendo bono im-peditur?

Secundo: Estne Carolus obnoxius restitutioni et, in casu affirmativo, cui aut quibusnam et quomodo restituere debet?

Tertio: Quid si Carolus Henricum monuerat?

Quarto: Debetne quis umquam e statu suo excidere ut re-stituat?

RESPONDEO AD PRIMUM:

Ius simpliciter dictum, *ratione obiecti*, distinguitur in *ius strictum* seu rigorosum, sive in *re*, sive ad *rem*, et in *ius non strictum*.

Ius strictum est illud quod tum in se et quoad res, tum quoad personam, est ita determinatum ut vi coactionis exigi pos-sit in proprium commodum. *Ius non strictum* est illud quod non est sufficenter determinatum quoad rem vel quoad personas, ita ut vi exigi nequeat; et ideo ius strictum est obiectum iustitiae commutativae, ius non strictum est obiectum iustitiae distri-butivae.

Praeterea, *ius strictum in re* seu reale est illud quod quis habet in *re* iam sua et obtenta, unde dat actionem realem in ipsam *rem*, et facultatem legitimam disponendi de ipsa *re*. ac sibi illam vindicandi ubicumque sit et a quocumque detineatur. *Ius strictum ad rem* seu personale est illud quod quis habet uñ res aliqua fiat sua, unde non dat actionem in ipsam *rem*, nec facul-tatem *immediate* de *re* disponendi, sed actionem in personam debitoris tantum ad *rem* obtainendam. Unde ius ad *rem* strictum est ius obtainendi ius in *re*, seu via ad ius in *re*.

Hinc qui proximum impedit a consequendo bono aliquo ad quod habet *ius strictum in re* vel ad *rem*, peccat contra iustitiam

commutativam, ideoque ad restituendum bonum vel ad resarcendum damnum illatum tenetur. Ita communiter.

Ex sententia communi, secluso hoc casu, adhuc laeditur iustitia commutativa, si ad impediendam consecutionem aliquius boni, ad quod non habetur ius strictum, exhibentur *media iniusta* seu laesiva iuris stricti; nam licet proximus non habeat ius strictum ad illud bonum, profecto tamen habet ius strictum ne per media iniusta, scilicet laesiva iuris stricti, impediatur a consequendo bono, ut auferatur ab eo spes quam habet; proinde aequalitas exigit ut restituatur in hoc casu *pro valore spei*; in supra dictis supponitur consecutionem boni illius non esse peccaminosam seu illicitam; secus non esset iniustum impedire hanc consecutionem illius boni etiam mediis iniustis: et ratio patet, quia media exhibita in casu, etsi sint in se iniusta, carent tamen ratione iniustitiae ob illicitam consecutionem boni.

RESPONDEO AD SECUNDUM:

Praesumitur, ante omnia, et infertur ex narratione casus Henricum candidatum in examine publico, per modum concursus peragentem, primum candidatum in ordine praecedentiae relatum fuisse, quia praecise ante examen edoctus fuerat de quaestionibus in examine proponendis; secus deesset causa efficaç damni, ideoque nulla obligatio restituendi haberri posset; et patet.

Ut ergo Carolus magister qui nullam partem in dicto examine habuit, restitutioni obnoxius sit, requiritur ut Carolus actione sua iustitiam commutativam violaverit erga ceteros candidatos; ut autem iustitiam commutativam violavisse dici possit, videndum est: primo, utrum candidati, ad examen inscripti, habuerint ius strictum ad officium obtainendum; secundo, utrum Carolus actione sua violaverit secretum strictum servandum circa quaestiones in examine proponendas, in quo secreto singuli candidati profecto habuerunt ius strictum; examen enim habendum erat per modum concursus seu contractus “*do ut des*”; tertio, utrum candidati etsi ius strictum ad officium obtainendum non habuerint, fuerint impediti, actione Caroli, iniusto modo ab officio consequendo.

In prima hypothesi, Carolus violasse iustitiam commutativam dici nequit; nam candidatos, nondum peracto examine, habuisse ius strictum ad officium obtainendum nemo audet asserere; ipsi enim habuerunt ante examen spem tantum consequen-

di officii, et spes non est ius.

In secunda hypothesi, Carolum docentem suum alumnum et miscentem aliis paucis quaestionibus quaestiones quas cognoverit in examine proponendas esse, et quidem inscio Henrico alumno, violasse secretum in quo ius strictum habuerint candidati, asserere non audemus; obiectum enim secreti in casu nostro non erant quaestiones sic et simpliciter, sed in quantum istae quaestiones proponendae erant in examine, quod Carolus nullo modo manifestavit candidato Henrico; de hoc Henricus omnino ignarus erat. Carolus, ex alia parte, usus est tantum notitia habita in utilitatem suam et sui alumni quem ex contractu instruere debuit, meliori suo modo, ad examen feliciter subeundum, quod licere etiam cum aliquo damno domini secreti, complures theologi admittunt; usus est Carolus fructu sue industriae, seu iure suo dummodo vero notitia de qua, obtenta non fuerit iniusto modo.

In tertia hypothesi, videndum est utrum per verbum “malitiose” intelligendum sit “iniuste” an simpliciter “astute” seu non modo laesivo iuri stricti alieni. In hac enim hypothesi omnis iniustitia ex modo repetenda est, utrum scilicet, modus quo Carolus sibi procuraverit notitiam quaestionum, fuerit laesivus iuris stricti alieni, necne. In casu affirmativo, ad quaesitum utrum Carolus sit restitutioni obnoxius, profecto omnino affirmandum est iuxta principia in responsione ad primum exposita. Secus, nobis videtur negandum esse.

In casu affirmativo, cuinam aut quibusnam et quomodo restituere debet Carolus in casu?

In hoc casu, in primis Carolus debet monere, graviter onerata sua conscientia (agitur enim de re gravi), Henricum candidatum de officio iniusto modo obtento ut ipse Henricus, tamquam possessor rei alienae, adhuc integrae et existentis in re, restituat domino seu secundo candidato, officium, sese dimitens ab eodem officio. Secus teneretur et ipse Carolus, meliori suo modo, indemnem facere secundum candidatum, quia ipse Carolus fuit causa efficax et quidem principalis, iniustae amissionis officii ex parte secundi candidati, seu in tali damnō iniuste illato.

RESPONDEO AD TERTIUM:

In hac hypothesi nobis videtur, salvo meliori iudicio, Carolus graviter iniuriam ceteris candidatis intulisse; unusquisque enim candidatus ius strictum habuit ne quaestiones proponendae

in concursu ullo modo ante examen innotescerent candidatis. Ideoque Henricus, participans in solidum in ista iniusta actione laesiva iuris stricti alieni, tamquam possessor malae fidei rei alienae iniusto modo obtentae, tenetur ipse primo loco restituere officium secundo candidato in ordine praecedentiae. Si vero Henricus non vult restituere, tenetur, secundo loco, ipse Carolus indemnem facere secundum candidatum, uti causa principalis in ista iniusta actione.

RÉSPONDEO AD QUARTUM:

Ex capite impotentiae excusatur et is qui non potest restituere nisi se privando necessariis ad conservationem status **iuste** acquisiti, nisi ex dilatione creditoris aequale damnum obveniat. Ita omnes. Adverte tamen non haberi ut necessaria ad status conservationem ea quae ad ostentationem, ad luxum, ad splendorem, ad opiparas recreations pertinent. Haec igitur resecanda et parsimoniae studendum ut possis restituere. Diximus "status **iuste** acquisiti": nam pauper qui dives evasit fortis, usuris, etc., restituendo non tam excidere statu quo, quam ad suum statum redire videtur. Ceterum, si status publice existimatur honeste acquisitus, excusari a restitutione quis potest ob damnum famae, et hoc ex iure naturae, quia nemo tenetur prodere se ipsum. "Quamdiu durat impotentia": haec enim obligationem non extinguit, sed eius executionem fore perpetuam suspendit. Itaque, nisi praevideatur impotentia fore perpetua, monendus est debitor obligationis restituendi quando poterit.

CASUS MORALIS SECUNDUS

Redditus dimidiaie partis bonorum, quae filii Narcissi ab ipso hereditaverant, insufficienes erant ad adimplenda onera missarum quotannis celebrandarum; unde a decem annis illa neglexerunt. Tandem, conscientia tacti, cupiebant ad tribunal civile recurrere, et onera primi quinquennii uti praescripta habere.

QUAERITUR:

Primo: Si qua virtute, quamnam tenentur parentes legitimam portionem heredibus necessariis serrare?

Secundo: Estne licitum ad tribunal civile recurrere ut legata pia legitimam laedentia reducantur?

Tertio: Quibusnam limitibus Ecclesia pro bonis ecclesiasticis recipit praescriptionem, tamquam acquirendi et se liberandi modum, prout est in legislatione civili respectivae nationis?

Quarto: Eratne testamentum Narcissi inofficium?

RESPONDEO AD PRIMUM:

Ex ipso iure naturali testator tenetur filiis, coniugi aliisque propinquis, versantibus in egestate, convenientem partem fortunae relinquere. Id pacifice admittitur ab omnibus theologis. Id enim exigit virtus tum pietatis tum caritatis. Quamvis enim neque filii neque alii habeant strictum ius ad totam hereditatem, fortuna tamen seu dominium privatum non solum ad possessorem sed, post eius mortem, aliqualiter etiam ad eius familiam pertinet. Pietas autem et caritas bene ordinata exigunt ut homo habeat curam domesticorum praesertim egenorum. Proinde peccat testator tum contra caritatem, tum contra pietatem, tum contra iustitiam legalem, si sine sufficienti ratione, heredibus necessariis subtrahit hereditatem debitam.

Hinc ius civile fere omnium gentium, quamvis facultatem testandi agnoscat, solet huic facultati certos limites apponere vetando ne quidam qui ab intestato succedant, penitus a testatore excludantur. Hi dicuntur heredes necessarii, et varii sunt pro vario Iure, sicut etiam varia est hereditatis pars quam ipsis lex civilis reservat. Eadem reservatio, saltem in Iure nostro, pariter statuitur pro facultate donandi inter vivos.

Ideo Iure civili nostro testatori integrum non est de omnibus bonis suis pro libito disponere; aliquam eorum partem quibusdam relinquere debet: secus dispositiones quae hanc partem laedunt irritae habentur. Heredes quibus pars a lege reservatur, necessarii vocantur, quique Iure civili nostro sunt:

a) filii legitimi seu legitimati per subsequens matrimonium, necnon fili adoptivi, quibus reservatur tertia pars bonorum testatoris seu dimidia pars prout non plures quam quatuor vel plures adnumerantur; ita nostra *Ordinanza*, art. 314: "La legittima dei figli legittimi o legitimati per sussegente matrimonio, od adottivi, è la terza parte dei beni del defunto, se tali figli non sono più di quattro, o la metà di quei beni se sono cinque o più. La legittima si divide tra loro in eguali porzioni. Sono compresi i discendenti del figlio in qualunque grado, però non si contano che per quel figlio dal quale discendono", e art. 315: "All'indegno e al disereditato sono sostituiti i suoi discendenti. Le porzioni degli incapaci e dei disereditati senza

descendenti e quella dei renunziati sono divolute a coloro che conseguiscono la legittima.”

b) Ascendentes sive paterni sive materni propinquiores tantum, si desunt descendentes legitimi ut supra. Portio legitima eis reservata, est tertia pars bonorum defuncti. (Art. 317).

RESPONDEO AD SECUNDUM:

Distinguendum est utrum recursus ad tribunal civile fiat directe ut tribunal civile determinet partem legitimam, an recursus fiat ad tribunal civile ut legata pia reducantur quia laedunt legitimam.

In prima hypothesi affirmandum est. Nam etsi sit probabilius licitum vel saltem non iniustum, laedere legitimas heredum necessariorum partes per legata ad causas pias, dummodo heredes necessarii obtineant id quod iure naturae ipsis ad honestam sustentationem et statui competit, tamen heredes quorum pars legitima laesa fuit, non videntur peccare si eam iustis mediis coram tribunali civili reclamant, quia lex civilis habet ius determinandi partem legitimam.

In secunda hypothesi negandum est. Cum enim Ecclesia habeat ius nativum, independenter a potestate civili, acquirendi, possidendi ac retinendi bona, reductio legatorum ad causas pias est de sola et unica competentia tribunalis ecclesiastici. Ita Can. 1513 qui statuit: “Qui ex iure naturae et ecclesiastico libere valet de suis bonis statuere, potest ad causas pias, sive per actum inter vivos sive per actum mortis causa, bona relinquere”. Et Can. 1517 statuit: “Ultimarum voluntatum reductio, moderatio, commutatio, quae fieri ex iusta tantum et necessaria causa debent, Sedi Apostolicae reservantur, nisi fundator hanc potestatem etiam Ordinario loci expresse concesserit.”

In prima hypothesi tribunal civile non **directe** declarat nullum legatum Ecclesiae factum (quod facere non valeret) sed directe statuit legitimam portionem filiorum, ex quo tunc tantum **indirecte** sequitur nullitas alterius legati. Aliter esset dicendum de donationibus et legatis piis extra partem legitimam factis, quia lex civilis non habet ius impediendi directe aut generatim omnes donationes pias, sicut nec impediendi ius Ecclesiae possidendi bona.

RESPONDEO AD TERTIUM:

Praescriptio, uti modus legitimus acquirendi ius quoddam vel extingendi onus quoddam, agnoscitur non solum in iure

civili sed etiam in iure canonico, quibusdam tamen limitibus. Ita Can. 1508: "Praescriptionem, tamquam acquirendi et se liberandi modum, prout in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia pro bonis ecclesiasticis recipit, salvo praescripto canonum."

Limites circa bona ecclesiastica statuuntur in canone 1509, videlicet: Lege ecclesiastica praescriptioni obnoxia non sunt:

- a) quae sunt iuris divini sive naturalis sive postivi;
- b) quae obtineri possunt ex solo privilegio Apostolico;
- c) iura spiritualia, quorum laici non sunt capaces, si agitur de praescriptione in commodum laicorum;
- d) fines certi et indubii provinciarum ecclesiasticarum, dioecesium, paroeciarum, vicariatum apostolicorum, praefecturarum apostolicarum, abbatiarum et praelaturarum nullius;
- e) eleemosynae et onera missarum;
- f) beneficium ecclesiasticum sine titulo;
- g) ius visitationis et obedientiae, ita ut subditi a nullo praelato visitari possint. et nullo Praelato subsint.
- h) solutio cathedralici.

Circa autem legitimatem temporis, ad normam Can. 1511, "Res immobiles, mobiles pretiosae, iura et actiones sive personales sive reales, quae pertinent ad Sedem Apostolicam, spatio centum annorum praescribuntur. Quae ad aliam personam moraliter ecclesiasticam, spatio triginta annorum." Ad normam Can. 1446, "Si clericus. qui beneficium possidet, probaverit se in eiusdem beneficii possessione pacifice per integrum triennium fuisse bona fide, etsi forte cum titulo invalido, dummodo absit simonia, beneficium ex legitima praescriptione obtinet."

RESPONDEO AD QUARTUM:

Inspecto solo iure civili, testamentum Narcissi dicendum est inofficiosum, si filii fuerunt plures quam quatuor; legatum missarum enim in hoc casu in testamento Narcissi praeiudicavit filiis eius in legitima. Inspecto autem iure canonico testamenrum Narcissi dicendum inofficiosum, si onera missarum praeiudicaverunt filiis in eo ad quod iure naturae strictum ius habebant.

C. BONNICI.